



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Vrsula & Sibylla Fuggeroru[m] præstans virtus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

ciam Germaniæ Inferioris nomine, regebat, per  
 eum quod expetierant tandem adepti. Petrus suæ  
 se, cum bona Hofij venia, Augustanæ palæstræ  
 breui reddidit. Nec tamen ita fuere tenaces Ca-  
 nonici, quin subinde propiores in Vrbes Ingol-  
 stadium, ac Monachium ad ea spectanda Colle-  
 gia, & per autumnum Cæsaris postulatu sinerent  
 OEnipontum excurrere, vt de Collegij inibi ma-  
 turandi ratione, formaq; transfigeretur.

*Redit Augu-  
 stam, & Bava-  
 rica renisit  
 Collegia.*

Ceterùm exitu anni huius, & insequentis  
 principio maior Augustæ è sancta eius prædica-  
 tione apparere fœcunditas cœpit. Profecere  
 multi ad insignem pietatem, ac præ ceteris Vrsu-  
 la ex illustri familia de Liechtenstain vxor Geor-  
 gij Fuggeri. Quæ cum Hæreticorum in fraudes  
 iam pridem incidisset, deinde Canisij opera dedo-  
 cta, tum exercitiis quoq; spiritus erudita, assiduis  
 progressionibus forma euaserat matronalis in  
 omni genere sanctitatis. Hæc non modò suam  
 domum ad Cœnobij exemplum composuit, sed  
 etiam, quotquot nancisci poterat, nobiles femi-  
 nas vitæ perfectioris amore succendebat. Tota in  
 opera misericordiæ, in cultum diuinum augen-  
 dum, & exornandum effusa. Plus tamen habuit

1561.

*Insignis Augu-  
 sta ad pietatem  
 profectus.  
 Vrsula, & Sy-  
 billa Fuggero-  
 rum præstant  
 virtus.*



celebritatis, ac famæ Sybilla Ebersteina ex præ-  
 clara Comitum stirpe oriunda Marco Fuggero  
 nupta. Hanc in Lutheri deliramentis à pueritia  
 enutritā, vt est muliebre ingenium primæ insti-  
 tutionis apprimè tenax, nullis Marcus vir eius, nul-  
 lis focer, cognatique & affines alij orthodoxi pro-  
 cibus, blanditiis, pollicitationibus, seu qua ali-  
 arte dimouere ab exitiali errore potuerant. Vbi  
 verò Canisij nomen Augustæ iam celebre fiebat  
 ita refugiebat ab eo, vt nunquam audire hominē  
 ac ne videre quidem voluerit. Ita obstinatæ di-  
 uina bonitas singulari succurrit ope. Ipsa Canisij  
 species oblata est quiescenti, admonens, & co-  
 hortans vt animæ salutem consuleret: à fallaci se-  
 perbarum nouitatum errore, ad rectum Ecclesie  
 sanctæ, & seculis ante tritum omnibus callem re-  
 graderetur. Ea specie, atq; cohortatione perculsa  
 diuinumq; esse id monitum statuens, Canisium  
 postero die accersit. Nulla fuit ei cunctatio, sed  
 fortè ita euenit, vt dum ipse à Marco Fuggero co-  
 miter exceptus officiosos inter sermones lento  
 deducitur, comes eius in conspectum Sybillæ ve-  
 niret. Et illa hoīem intuita, conferēs speciem, cum  
 simulacro, quod mente gerebat, statim animad-  
 uertit,

*Sybilla mira  
 ad Catholicos  
 conuersa.*